[Ce]nsor Biblio. Barberinae. Vol. 3076. pag: 378. 1558. a 11. Aug.

Dilecto Filio Nobili viro Joanni Ocieski Cancellario Regni Poloniae

Dilecte Fili Nobilis Vir &c: Cum certiores facti fuerimus habitum iri propediem conventum, omnium illius Regni Ordinum, magnopere verendum esse intelligimus, ne quid in eo tentetur ab Haereticorum fautoribus adversus Religionem Catholicam, et vetustissima Ecclesiae instituta; Itaque, etsi confidimus carissimum in Christo Filium Nrum Regem pro sua prudentia, et fidei Catholicae Religionis Causam suasponte esse acriter defensurum, neq passurum tantam nomini suo maculam inuri, ut quidquam in eo conventu adversus catholicos decernatur; tamen nostras partes esse duximus pro rei magnitudine quam primum Sedis Aplicae Legatum, ex Collegio S. R. E. Cardinalium mittere isthuc, qui hujus S. Sedis authoritate et nomine, omnia, quae tale tempus postulaverit, officia, et Ipsi Regi, cujus dignitas, et Regni salus, maxime nobis est curae, et Venerabilibus Fratribus Nris Epis, et si qui ipsorum hoc tempore, quod non credimus, segniores, timidioresve, fuerint, excitet ac confirmet. Verum cum Legatus necessario plus temporis in Itinere positurus sit, nec differre diutius vellemus, quin Venerabiles Fratres Nros Epos Aplici Nuntij presentia consolaremur, faciendum nobis esse visum est, ut premitteremus Venerabilem Fratrem Camillum Eppum Satrien. [an Sutrin.] et Campanae Ecclesiarum unitarum eo munere functurum, propterea quod is expeditius iter sit facturus, Quem quidem Legatus postea subsequetur. Recordantes autem eximiae tuae virtutis egregiaeque voluntatis, quam in conventu superiore declarasti, cum adesset Venerabilis frater nr Aloysius Episcopus tunc Veronensis nuntius noster, magnam sane spei nrae partem in tua devotione, virtute, auctoritate repositam habemus. Confidimus enim a te, Dei, ac Religionis et Ecclesiae matris causam acrius quam unquam antea defensum iri. Quod cum facies existimationi, ac Dignitati Regis et Regni quieti, salutiq consules, non defuturis pietati et constantiae tuae premijs à Deo, et in hac vita, et in altera maximis. Nos vero, qui bene de Ecclesia, et Religione catholica merentes ab hac Sancta Sede merito complectendos esse intelligimus, quantopere in eo

gratum nobis feceris occasione oblata re ipsa declaralimus. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo pisc: die XI. Augusti 1558. Pontificatus nri Anno 4o.

Aloysius Lippomanus Bergomensis.

ing
qu
m
qu
pro
m
Stu
m
Ser
sta
sin
qu
qu
det
qu
an
qu
m
ta
de
qu
Ei
tu
ser
San

mus etti Datum è Monte Henau Ao Augusti 1558.

pur Biblia: B
Venerabili C
nis Oppi
Venerabili Bra
i Crasinij
itudine affec
qui isthic p
haereticorum
orum Statum
nali Officio
ligeret, apud
mittendum ista
lante, sedis
Dit. S. Peter
orum Summ